



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. X. De Iis Qui Filios Occidunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

gium Clericorum amittunt, *cap. In audientia inf. De sent. excommunicat.* ubi argumentum sumitur ab attentata mulieris pudicitia, quæ vestem meretricis gerit. Deniq; amisso privilegio, à Prælati possunt incarcerari, *cap. A nobis h. tit. de poni & degradari, can. Sine ornatu & can. Præcipimus xx. qu. 4. cap. Non magnopere sup. Ne Clerici vel Monachi, &c.* ubi Religiosi, qui desertis claustris dant operam legibus civilibus, excommunicantur. Hæc

de prima.

Alteram Rubr. partem de reiterantibus baptisma ideo videtur apposuisse Pont. ut significet, quod sicuti desertores fidei, qui per hoc baptismatis sigillum profanant, puniuntur, *d. l. 3. C. De Apost.* ita & illi, qui iteratò baptizantur, præsertim publicè, etiamsi fortassis occultè & in animo integritatem fidei retineant, *juxta sextum in cap. 2. h. t.*

IN TIT. X. DE HIS QUI FILIOS OCCIDUNT.

Canif. lib. III. tit. 17. in fine.

SUMMARI A.

1. Ratio ordinis.
2. Parentes, infante reposito mortuo in lecto, qualiter puniendi.

HUc usque egit de delictis, quæ Deum ejusve religionem peculiariter lædunt. Detraheps verò proponit illa, quibus læditur proximus: & quoniam graviore est læsio, quæ vitæ inferitur, quàm quæ thalamo & bonis externis, hoc rerum ordine servato, etiam hæc præmittit homicidii speciem, quæ vel à parentibus in filios, vel vice versâ in ipsos parentes committitur; quod sanè maleficium quàm severè lex civilis puniat, Tit. Institur. *De publ. judicis* docet,

item Pandect. *Ad L. Pomp. de parricidiis*, denique Tit. Cod. *De his, qui parentes vel liberos occiderunt.*

Sacri verò Canones, qui sanguinem non effundunt, volunt parentes, si inter dormiendum nocte suffocaverint prolem, per tres annos pœnitentiam agere, ita ut tertium transigant in pane doloris & aqua tristitiæ, *cap. ult. h. tit.* id quod verum est, si culpa aliqua saltem levis præcessit. Cæterum si impotentia animi id fecerint, aut calor iracundiæ, voluat illos induci, ut Monasterium ingrediantur, per omnem vitam acturi pœnitentiam; aut si fortè propter metum incontinentiæ, aliamve justam causam, id non expediat, mandat Pont. ordinariis Prælati, ut aliam pœnam arbitrariam ipsis injungant, *c. 1. & 2. h. t.*

IN TIT. XI. DE INFANTIBUS ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

SUMMARI A.

1. Infantem & partum languidum exponens necare videtur.
2. Expositum recipiens & nutriens an quid juris in eum acquirat.

SED & illud saltem speciem habet homicidii, si parentes suos infantes, vel patroni suos elicientes & libertos, aut etiam servos, exponant, si languidi sint: nam, ut ait Paulus, non solum illè necat, qui partum suffocat, sed & ille, qui illum abiecit, ac alimenta denegat, & qui publicis locis exponit, causa misericordiæ, quæ caret ipse,

in *l. Necare D. De liberis agnosc. & aliendis* Pœna autem horum exponentum est, quod jus patriæ potestatis aut etiam dominicæ, si quod habeant, in exposito statim amittant, *l. 2. C. & c. unico hoc tit.*

At verò quaesitum fuit, An qui motus misericordiæ expositum ad se recepit & enutrivit, hoc ipsum jus sibi acquirat? Et rescriptum tam à Pont. quàm ab imperat. quod quavis enutritum non teneatur reddere, nisi receperis prius expensis, jus tamen dominicum, patriæ potestatis, vel patronatus, in exposito nequaquam acquirat, qui ob id per omnia liber manet. & sui juris, *d. c. unico & l. Sancimus C. De infantib. expositis.*